Alberij Hardenbergij S.

IN HIEREMIAM PROPHETAM COMMENTARIORVM LIB. tres, Ioan. Oecolampadio autore.

VERBA Iirmeiahu, filij Hiskiahu, ex sacerdotibus quiin Anathoth, in terra Biniamin. 1

Misericors deus, suam erga humanũ genus declarans charitatẽ, si quando maior rerũ uel prosperitas uel adueristas mortalibus obuentura esset, nullis nõ seculis per prophetas & pios homines eam prædicere dignatus est, ut Esaias inquit, Non est uerbum, quod dominus non locutus est per prophetas suos, atq; adeo, ut si indigni essent homines, angelis doctoribus, qui primos patres docuerũt, uiros sortirentur angelicos, quibus deinde uel deficientibus, uel non satis proficientibus, etiam mulieres excitauit spiritus domini, qualis olim Debbora, & Hieremiæ temporibus Holda extitit. Quin & ipsa elementa certis nonnunq; signis & prodigijs futurarũ rerum admonuerunt periclitaturos: sicut apud Lucam testatur dominus, Erunt signa in sole & luna. Computa ab exordio generis humani usq; in hunc diem, & inuenies seriem prophetarum perpetuam. Sed & illũ diem iudicij terribilem, quem nos expectamus suus quispiam Elias, & præterea prophetantiũ chorus præcurret. Multis annis Adam, & alij multisecles (ut ita dicam) patres, quid aliud erant q; prophetæ? Neq; enim homines ante diluuiũ, ut fingunt quidam, πολυχρόνιοι ul/ngo erant: sed eo miraculo soli hi conspicui erãt, qui beneficiorum dei alijs testes ordinati fuerant, tametsi maior hominũ ad peccandum tum esset procliuitas, quàm ut sancte monentibus aures prę berent. Vbi aũt maiores calamitates multiplicabantur, & clarior aderat prophetia. Apperebat cataclysmus, & centũ annis arcam fabricans, patientissime pœnitentiam optimus uir Noah prædicabat, quamuis usqueadeo nullos lucraretur, ut solus ipse cum paucis exitium saluus euaserit. Idem post diluuium annis aliquot doctor præfuit, cui Sem successit, quem Melchizedecum opinantur, qui usq; ad Abrahamũ pertigerit. Vrgebat & Sodomitas dignũ suis sceleribus horrendum excidium, & Lothum cognatũ Abrahæ sanctum habuerunt admonitorem, & quia salutem suam ne/

a gligebant